



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Philippicæ Sive Invectivæ LX. In Notorios Peccatores**

**Hartung, Philipp von**

**Egræ, 1687**

Philippica 35. in inhospitales hostes Hospitij Spiritûs Sancti.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76172)

gravissimis tormentis suis solatiū ex fructu animabus inde conferendo, at hunc fructum scandalosi pessumdant, ideoque super dolorem vulnerum addunt. Affectuosè Bernardus: si Dominus proprium sanguinem dedit in pretium redemptionis animarum, non tibi videtur graviolem ab eo sustinere persecutionem, qui suggestionem malâ, exemplo pernicioso, scandali occasione avertit ab eo animas, quas redemit, quàm ab eo qui sanguinè suum fudit? Si Judas, si Caiphias, si Herodes, si Pilatus gravissimis inferorum supplicijis maclantur, quodd Dei filium vendere, blasphemare, illudere, condemnare præsumperint, quot tandem obsecro

gehennæ (verba Chrysofomi sūt) his plectēdis suffecerint, qui irritum faciunt sanguinis ac mortis ejus pretium, & quantum in ipsis est passionem ejus ac vulnera annihilant? *non potest hæc res pro magnitudine sceleris enarrari*, inquit attonitus Lactantius *vincit officium lingue sceleris magnitudo*. Taceamus ergo & non linguam modò sed aures, sed oculos, & quemlibet benigniorem affectum scandalosis in omne tempus abiuremus, æternumque jam nunc odium, execrationem, & diras indicamus.

1. 6. divin. infit. c. 23.

\* \* \*  
\* \* \*



# PHILIPPICA XXV.

In inhospitales Hostes Hospitis Spiritûs Sancti  
DOMINICA PENTECOSTES.

Veniamus. Ioan. 14. v. 23.

§. I.  
Ex multis  
caulis Spi-  
ritus Sancti  
devo-  
tione sus-  
cipiendus  
est.



Redideram neminem ex omnibus fore, qui sanctum Spiritum toto devotionis affectu non exciperet, & universam illi cordis ac animæ suæ mansionem non dedicaret. *Est enim Pater pauperum, Dator munerum, lumen cordium*, quis Patrem mitissimum non redamet, quis largitorem ditissimum non obferret, quis lumen amœnissimum non admittat? *Est cōsolator optimus*, quis solatium illius detrectet? *est dulcis hospes animæ*, quis hospitium uberi mercede pensandum non of-

ferat? *est dulce refrigerium*, quis in maligno curarum & tentationum æstu liquidissimum refrigerium respuat? & tamē audire iterum cogor querulam Evangelici vatis tubā hodie insonantem: *ipsi autem ad iracundiam provocaverunt, & afflixerunt Spiritum Sancti*. Non tantum non amarunt Patrem, sed dehonestarunt, conculcarunt largitorem, extinxerunt illuminatorē, exacerbaverunt consolatorem, eliminaverunt hospitem, execrati sunt auxiliatorem: *ipsi autem ad iracundiam provocaverunt & afflixerunt Spiritum Sancti*. Contra hos impi-

Ita. 63. v. 10. in græc.

Aa

iffi

iffimos hostes tuos ter sancte Spiritus fac hodie tonem, fulgurem, fulminem, tu mihi linguam igneam suffice, tu verborum flumina affunde, tu sententiarum fulmina suppedita, ut isti sapiant, & compuncti corde ad salutem quantum respiscant.

S. 2.  
Spiritus  
Sanctus  
habet se ut  
peregrinū.

Venit in has terras corporea sub specie Sanctus Spiritus tanquam peregrinus, ut nostram exploret fidem & experiatur humanitatem. Familiare Augusto Cæsari fuit sub habitu peregrini Romanas obire tabernas, lustrare civium aedes, explorare Romanorum animos, & erga Imperatorem suum affectum. Augustum secuti plurimi Augustissimi, quorum & nomina & acta bellissimè novimus, per Romani Imperij ditiones incogniti processere, & quid de Imperatore sentiretur, dicereturque; fidelibus oculis ac auribus exploravere. peregrinus hodie venit & hospes sanctissimus Spiritus, sed non colligitur, non recipitur, non exauditur etsi, gemitibus inenarrabilibus interpellat, & uberrimam hospitij mercedem polliceatur. Qualiter actum cum Dei filio, taliter cum spiritu Sancto: *in propria venit & sui eum non ceperunt; hospes eram & non collegistis me, vocavi & renuistis*, pulsavi non aperuistis, amorem odio, beneficentiam maleficio, oblatum mel & saccharum felle & veneno pensavistis. si barbarum, & ab omni humanitate alienum, legique divinæ omnino contrarium est, peregrinos malè ac durè tractare præcipiente Domino: *Advenam non contristabis, neque affliges eum*, quanto immanius est divinissimum hospitem ad iracundiam provocare, & *Spiritui gratia*, ut ait Apostolus, *facere contumeliam*.

Joan. 1. v.  
11.  
Matth. 25.  
v. 35.  
Proverb.  
1. v. 24.

Exod. 22.  
v. 21.

Hebr. 10.  
v. 20.

S. 3.  
Humanitas  
barbara

Lappi, gens barbara, advenas insitatores singulari comitate in tu-

guriolis suis excipiunt, omnemque ipsidem familiam committunt, ipsi interea venatum abeunt, atque è venatione reduces si lætos inveniunt hospites, munere aliquo eodem donant, quasi gratiam non fecissent, sed accepissent, quòd hospitalitatis exercendæ præbuerint occasionem. Apud Lucanos lege

cautum scribit ex Æliano Alexander ab Alexandro, ut si quis domo arceret hospites, tanquam inhumani sceleris reus, grandem eo nomine multam pendere cogeretur. Inter leges maximas Gothorum est teste Joanne Maginio, hospitalitatis erga quoscunq; observantia, summumque nefas ducitur, viatorem tecto excludere, quod si quis facere attentarit & idoneis testibus ter negasse hospitium convictus fuerit, admoto in pœnam igne, aedes ejus exuruntur, ut Domo propriâ justè privetur, qui earum usum inhumaniter denegarit. ô Lappi! ô Lucani! ô Gothi! ô barbari! ô gentiles! pejores ego vobis Christianos inveni, qui videlicet probro & piaculo sibi ducunt, si Deum ipsum cordis sui excipiant hospitio, si pulsanti ostium cordis aperiant, si divinas ejus inspirationes exaudiant, si nutum ejus exequantur; laudi verò sibi reputant & excellentiæ, si hospitium denegent, si resistant, si contristent, si extinguant, & quaquâ possunt malitiâ pessumdent, multò immitiores Procuste Attico, qui hospites interimebat, interemptus & ipse ab Hercule, immaniores Scyrone, qui hospites è Saxo in mare præcipitabat, præcipitatus & ipse à Theseo, & in Saxum, ut Poëtis placet, commutatus, truculentiores anguibus in Syria, quos ajunt erga indigenas venenum non habere, neque eos impetere, exteròs cum cruciatu exanimare, ita & vos viperarum genimina erga anima-

rum genitum erga peregrinos.

Alexand.  
1. 4. c. 10.

rum

rum hostes, spiritus tartareos, tanquam domesticos vestros humanissimi, promptissimi, liberalissimi, in hospitem verò Spiritum Sanctum barbari, efferati, sacrilegi, idcirco habetis ut hostem, quòd adventare audiat hospitem, quasi hodièque idem sit *hostis* & *hospes*, prout antiquitus eandem utrique vocabulo fuisse significationem Tullius Cicero attestatur. Erit enim verò idcirco hostis Spiritus, quia hospes esse non potuit versòque in furorem amore, mel suum mutabit in fel, ignes blandientes in gehennas inextinguibiles, linguas in gladios, flumina gratiarum in fulmina irarum, hospitalitatem in hostilitatem, charismata in anathemata, beneficia in sempiterna supplicia.

S. 4.  
Multum  
semper  
profuit  
hospitatè  
fuisse.

At audio inhospitales ejusmodi caucos objectare, & cum Sathyrico occinere: *veniat, quid proderit hospes?* quid? à largitore munerum nullos hospitalitatis fructus expectatis? profuit Abrahamæ & Lothi (Gen. 18. & 19.) ignotos hospitio Angelos excepisse, hic enim ab incendio servatus, ille optatissimâ prole donatus est; profuit viduæ Sareptanæ erga Eliam (3. Reg. 17.) viduæ Sunamitidi erga Elisæum (4. Reg. 4.) hospitales fuisse, illa enim abundantia vitæ sustentandæ media, hæc verò vitæ suæ delicias, filium inquam redivivum accepit. profuit Labano Jacobum (Gen. 24.) Ragueli Moysen (Exod. 2.) Rahab meretrici exploratores (Josuæ 2.) benignè acceptasse, cum Jacobo enim Labano ingens fortunarum omnium incrementum, Ragueli insuper veri Numinis agnitio, Rahab deniq; vita, salus corporis animæque inde provenit, quòd advenas domi suæ exploratores opiparè habuisset. Quanto magis proderit divinum illum hospitem Sanctum Spiritum hospitio cordis libenter liberaliter-

que excipere, omnique officiorum genere sacratissimam ejus præsentiam demereri; venient profectò omnia bona pariter cum eo, & *innumerabilis honestas per manus illius.*

Obfuit è contra immodicè inhospitalibus viris Soccoth inhumaniter cum Gedeone egisse Jud. 8. à v. 5. panes enim cum illi negassent, spinas vicissim Gedeon iisdem minatus est, juravitque: *conteram carnes vestras cum spinis tribulisque deserti,* quod & reipsâ præstitit, atque à prælio redux septuaginta septem principes populi acutâ morte confecit: *tulit ergò seniores civitatis, & spinas deserti ac tribulos, & contrivit cum eis, atque comminuit viros Soccoth v. 16.* acutiores vos spinæ manent, qui in venereis infanarum voluptatum rosis stertitis, idèoque hospitium cordis sancto Spiritui negatis, cum hic apud hominem carnalem commorari non possit juxta illud: *non permanebit Spiritus meus in homine, quia caro est.* suscipiamus sanctos, imò Sanctum sanctorum, ut splendeat domus, ut liberetur à spinis, ut innumera nobis bona per adventum ipsius adferantur, ita ferè Chrysostrmus homil. 30. ad Rom. obfuit incarnatis illis Asmodæi mancipijs, Sodomæ inquilinis, cœlestes duos hospites (tertius enim qui Spiritus Sancti personam agebat tempore se subduxerat tum, nè locus esset clementiæ, ut vult D. Gregorius homil. 18. in Evangelia, tum nè inhospitalitatis, quam unice exosam habet, periculum subiret) obfuit inquam Sodomitis inhospitalissimè cum geminis angelis agere voluisse, quin & uxor Lothi idèò in salis statuum die posterâ abisse putatur, quòd pridie insulsam se erga eosdem hospites gessisset; obfuit & Gabaonitis ad excidium usque Benjamiticæ tribus, ut legere est Jud. Aa 2 19.v.

S. 5.  
Multum  
semper  
no-  
cui inhospitalem  
fuisse.

Gen. 6.3. v.

19. v. 15. quodd oppidò inurbanos, imò p'us quàm agrestes & barbaros erga Leviten Bethlehemiticum & conjugem ejus se gessissent: & nullus eos recipere voluit hospitio, fuissetque parum hospitio non recepisse, nisi insuper Levitæ patientiã tantoperè abusi fuissent, ut idcirco tota Benjamitica tribus, sexcentos duntaxat viros si exceperis, penitus sit deleta. O quot delicti de libro vitæ & æternæ morti addicti sunt, quia Spiritum Sanctum hospitem recipere noluerunt, sponte insuper illius Ecclesiæ Catholicæ nefandas irrogare contumelias attentârunt. Obfuit stulto illi Nabal (1 Reg. 25.) Jus hospitij peregrino & exuli Davidi denegasse, in cruentam enim omni cum familia necem deturbat' fuisset, nisi stulti mariti errores prudentissima Abigail citò corrigens iratum Davidem placavisset; quanquam humanam licet evaserit, divinam tamen evadere non potuit Nabal vindictam, subitanè enim morte ex viventium syllabo intra dies decem expunctus est. Advertite nunc inhospitalales Spiritus Sancti hostes verba Scripturæ in Nabalem prolata, adversum nos detorqueri: recogitate quid faciatis, quoniam completa est malitia adversum vos, reddet Dominus malitiã in caput vestrum.

S. 6.  
Spiritus Sanctus, si cordis hospitio excludatur, nutritrix excluditur.

Auget porrò malitiam in imensum, quod quem hospitio cordis excludimus, Pater noster, imò nutritrix fit; hinc illa apud Baruch c. 4. v. 6. nãnia: *ad iracundiam provocastis Deum, exacerbastis eum, qui fecit vos, contristatis nutritricem vestram.* Blanditur vobis S. Spiritus, & ubera *meliora vino*, ubera lacte & melle coelestium dulcedinum fluentia propinat, sed ò ingrati nutritricem hanc rejicitis, lac illius conculcatis, ubera discerpitis, Narrant historiæ Cononem Reginam Britan-

niæ Regio infantulo propinasse materno ex ubere lac, verum malus puer dentes infixit uberi dilaceravitque, mater dissimulato dolore alterum porrigit, sed discerpitur similiter, quare afflicta Regina petulantem puerum abjicit, & nequidquam vagientem deserit inquitens: *dedi quod potui, si peris, perditio tua ex te.* an non easdem minas expectare habent, quotquot oblata Spiritus Sancti charismata maledicis labijs excipiunt, imò non excipiunt, sed blasphemio ore respuunt, & theonino dente configunt. Pereant æternâsti famæque, deserantur à Spiritu bono, & in lanienam diabolo & Angelis ejus extradantur, qui volentes illius delicti sese reos faciunt, de quo Salvator Marci 3. v. 29. *non habebit remissionem in æternum, sed reus erit æterni delicti.*

Mira est observatio D. Augustini, cur Goliath irremediabili ietu Prostratus lethoque illætabili fuerit victimatus. Elegerat sibi David adversus turrin carneam quinque limpidissimos lapides, & misit eos in peram pastoralem 1. Reg. 17. v. 40. qualis hæc pera, in quam machinæ bellicæ reconduntur? putat Hipponensis Doctor fuisse vasculum ligneum, mulctram vocamus, quo pastorculus lac vivum emulgere consueverat, additque vasculum illud à recentissimo lacte probabiliter adhuc maduiffe, adeoque & lapides calido lacte fuisse perunctos, ad denotandum insigne mysterium, quod videlicet ipsæ Spiritus Sancti gratiæ velut guttæ lactis reprobis cedant in ruinam. Loquatur S. Augustinus psalmi 143. interpret: *lapides quinque conjungere volens David gratiæ, posuit in vase pastorali, in quo lac mulgere consueverat: significatur gratia lacte. His armatus processit adversus Goliath super-*

S. 7.  
Abusus gratiarum Sancti Spiritus indicium est æterni interitus.

*superbum.* jactatur lapis lacte illitus ex funda, frontique Goliathi ita infigitur, ut lacteae guttae inter impudentis hostis cruorem albicerent, & Davidi quidem immortalem inscriberent victoriam, Goliatho vero aeternam inurerent ignominiam. *His armatus processit* David; sic armatus aliquando processurus est Davidis filius, adversus Spiritus Sancti hostes, profunda quidem crucem arripit, pro lapidibus quinque usurpabit vulnera, eademque in lacteas, quibus abusi sunt terrae filij, gratias Sancti Spiritus intinget, ut inde mulctentur in mortem, unde lactandi erant in vitam, inde notentur ad infamiam, unde signandi erant ad gloriam, inde hauriant damnationem, unde fugere sempiternam debuerant salutem.

§. 8.  
Affectus

Audite haec inhumani hostes hospitis Spiritus Sancti, & si vel guttula ingenui sanguinis in vobis est, erubescite; si adhuc venula Christiani hominis in vobis micat, contre-

miscite; si melior halitus superest, suspirate, ingemiscite, veniam a clementissimo Spiritu flagitate, cordis vestri hospitium ex integro cedite, ac donate millenisque ingeminate votis: *veni! veni! imò revertere! revertere* amabilissime Spiritus quem ingrati odimus gratis! *revertere* dulcissime animarum hospes, quem repulimus impie, contristavimus nequiter, affliximus crudeliter, revertere nutrix super favum dulcis! cujus suavissimam ubertatem prodegimus, exacerbavimus, proculcavimus! ah tuam per inexhaustam dulcedinem, & infinitae viscera misericordiae, & immensam gratiarum abyssum revertere! unaque Patrem adduc cum Filio, ut quantocyus gratiosum audiamus istud: *Veniamus & mansionem faciemus.*

\* \* \*

\* \* \*



# PHILIPPICA XXXVI.

In Curiosos.

DOMINICA I. POST PENTECOSTEN.

*Docentes eos servare omnia.* Matth. 28. v. 20.

§. I.  
Scrutatores majestatis opprimuntur.



Udístis? servare jubemur omnia, non scrutari. Servat omnia, qui Deum trium, in quo uno omnia, p<sup>a</sup> religiofitate observat, amat, invocat; non servat omnia, qui incomprehen-

sam illam scrutando majestatem se perdit ac pessumdat exclamaturus olim cum Henrico VIII. moriente: omnia curiosè observando *omnia perdidimus!* Qui scrutator est majestatis, opprimetur à gloria, sicut auri argenti que fossores à terra opprimi veteribus, novissimis que te-

proverb.  
25. v. 27.

A a 3

sti